

suum idolum in sacratissimo loco templi collocatum adorari iussit, ita stetit in ecclesia in loco sanctissimo in sanctissima ista coena, qua Christus cum piis voluit facere societatem, multis seculis Deus Maozim, qui a pane vel a cibo nomen habet. Et is quidem magnam colluuiem in regno pontificio pavit, sed in causa fuit, vt Deus afficeretur contumelia infinita et vt hac profanatione idololatrica accerserentur poenae publicae et priuatae, corporales et aeternae. Non enim profecto inepte iudicatur orbem christianum occidentalem propter hanc teterrimam idololatriam poenas luere et discerpi a barbaris gentibus, perinde sicut oriens propter blasphemias Arij, quas auide accepit, et immani cum saeuitia defendit, anathema est, oppressus horribili seruitute, tyrannide et caligine.

Nostra vero aetate immenso Dei beneficio, cum lux verae doctrinae repurgaretur per reuerendum D. Lutherum, virum pietate et donis Spiritus sancti excellentissimum, ista idolomania etiam recte taxata est et monstratus verus vsus sacrae coenae, et sperandum fuisset temporis progressu sicut alias doctrinae partes ita hanc etiam subinde planius nostros explicaturos et a fecibus pontificiis repurgaturos fuisse. Sed primis statim annis infelix inter nostros doctores de hac ipsa causa bellum intestinum exortum est, quod optimam spem magna ex parte interuertit. Nam cum quidam flagrantis nescio quibus cupiditatibus varias excitarent turbas et non tolerandas inueherent confusiones atque etiam inter alia sacramenta nimium extenuarent quasi essent solum externa signa vel notae professionis aut repraesentationis Christi absentis, tanquam Agamemnonis in scena, neque concederent sacramenta prodesse ad fidei confirmationem, ex quibus profecto primum suum virus hausit entusiasta Silesius, quod nunc ita late vagatur, acerrime his aduersatus est Lutherus.¹⁵⁶ Etsi autem postea viri docti, pij et prudentes, qui causae huius tractationem in sese receperant, incommodas phrases mutarunt, emendarunt et veram sententiam satis dextre et perspicue explicarunt, ita vt multis piis et modestis satisfaceret. Tamen sicut omnium hominum magna est infirmitas et vt olim dictum est, ne sapientes quidem omnes prauos affectus penitus possunt exuere, non sopiri potuit hoc certamen, sed quaedam opiniones ex commento transsubstantiationis natae et contra partem aduersam sicut hosti in hostem quidlibet licere putatur in illo feruore certaminis accersitae in animis nostrorum haeserunt neque vnquam radicitus euelli potuerunt. Hoc tamen omnibus legentibus scripta Lutheri manifestum est eum saepe, praesertim vbi non praeliatur cum aduersariis, valde commode et circumspecte de tota hac causa loqui, ita vt desiderari vix possit aliquid amplius. Quod autem ex suo quodam ardore interdum admiscet, vt leuissime dicam, quid *ἀκρὸν* aut etiam non cautissime loquitur, tribuamus hoc communi omnium hominum, quae etiam in praestantissimis magna est, imbecillitati. Nec propterea, vt

¹⁵⁶ Zur Ablehnung der Christologie des Schlesiens Caspar von Schwenckfeld durch Martin Luther vgl. Horst Weigelt, Art. Schwenckfeld/Schwenckfeldianer, in: TRE 30 (1999), 715.